



2.

17

1.

2.

3.

4.

6.

17

1.





13.  
DEO DUCE  
DISSERTATIO PSYCHO-SOMATICA.

v. i. Nume 19

26

17234

DE  
**COMMERCIO**  
**REI SPIRITUALIS**  
CUM  
**RE MATERIALI**

QUAM

9525  
CONCESSU AMPLISSIMAE

FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN ILLU-  
STRIS. AD VARNUM ACADEMIAE

AUDITORIO MAXIMO

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI EA, QUA  
PAR EST, OBSERVANTIA  
SUBMITTUNT

PRAESES

**M. ANDREAS TRAN-  
CHELIUS,**

et RESPONDENS

**JOANNES TRANCHELIUS.**

Sveco-Bahufienfes.

DIE XXI. JULII A. R. S. CIO MCCCXXIII.

R O S T O C H I I,

Typis JOH. JACOB. ADLERI, SERENISS. PRINC.  
& ACAD. Typograph.





171. 171

DEO DUCE  
DISSERTATIO PSYCHO-SOMATICA

DE  
COMMERCIO  
REI SPIRITUALIS  
CUM  
RE MATERIALI

QUAM  
CONCESSU AMPLISSIMAE  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN ILLU-  
STRISSE AD VARIAM ACADEMIAM  
AUDITORIO MAXIMO  
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI ET QUA  
PAR EST OPERANTIA  
SUBMITTIT


M. ANDREAS TRAN-  
CHELIUS

RESPONDENS  
JOHANNES TRANSCHELIUS

Typis JOH. JACOBI ADLERT. SEBASTIUS. PRINC.  
& ACAD. J. Pöppelst.







## S. I.



### Omne nihil miserius.

*Miseria ho-  
minis decla-  
ratur.*

Huius conditionem deplorandam esse, nemo est, qui neget, nisi quem ipsa miseria titillat, quemque res aduersae maxima & sempiterna adficiunt laetitia. Nam si vel imbecillitas ingenii, vel infirmitas corporis, vel denique diuersum genus angustiae ex fortuna prouenientis in considerationem nostram cadit, eum, qui a calamitate prorsus alienus remotusque fuerit, nondum natum esse, ingenue fatendum est. Ecquis est, qui perpetuam ab omni molestia immunitatem sibi polliceatur, dum tot tamque diuersi motus animo cuiusuis infident? Hi enim effraenantes, atque ab honesto bonoque recedentes, non sine summo labore, summaque difficultate in gyrum rationis reducuntur. Hinc qui eos non sedant, sed iis cedunt; non obsistunt, sed morem gerunt; non obicem ponunt, sed fraena laxant, calcarque addunt, in extremum inconsiderati Phætonis periculum incurrentes, praesentissimam perniciem neutiquam effugiunt. O miseros itaque, qui animo perturbati, adtonitoque similes, modo timori, modo irae, modo aliis motibus succumbunt. Contra ea magna haec est eorum felicitas, quorum in istos ratio dominatur.

A

Tamen



Tamen quum non parvas turbas in animo saepenumero excitent, nullus dubitat, quin cum taedio vita hominis transigatur. Huius rei testimonia ex scriptis profanis in medium proferre necesse non est. Quis ignorat, homines sanctiori civitati non adscriptos, statuisse, vitam hominis esse brevem, foliorum generationi similem, umbraeque simulacrum, ita ut terra homine nihil imbecillius alat. Tanta fuit huius considerationis vis apud Thraces, ut infantem recens natum, maximo cum squalore, luctu atque vlutatu exciperent; mortuum autem vel parentem, vel coniugem, vel alium quempiam propinqua cognatione coniunctum, eundemque iam sepeliendum summo cum gaudio, summaque cum exultatione profecerentur.

## §. II.

*Praestantia  
quoque eius-  
dem adstrui-  
tur.*

Sed ne quem hic turbidus hominis status offendat, cogitationes suas inde avertat, atque ad eius praerogativas prae omnibus fere ceteris rebus creatis eas advertat. Nam homine eodem nihil praestantius. Quin omnia, & animata, & inanima excellenti gaudeant praestantia, ita ut praestantissimum suum opificem revelent, nulli negamus. Eo tamen perducere nunquam possumus, ut credamus, aliquid in hoc orbe, profecto non ex atomis, nec fato quodam conflato, sed ex sapientia altissimi numinis condito, reperiri, quod ad fastigium dignitatemque hominis adscendat. Quidquid enim oculis nostris subiicitur, ac vel beneficio oculorum a mente percipitur, vel adeo tenue est, ut omnem fugiat conspectum, id omne ratione vacat, naturamque materiae retinet. Dissimilis autem est ratio ipsius hominis. Equidem libenter concedimus, hominem, ratione vnius partis, id est, corporis habita, a ceteris rebus materia constantibus non differre, quum ipsum corpus hominis sit extensum, habeatque easdem, quas habent aliae res sensibus nostris occurrentes, proprietates. Sed iuxta adferimus, hominem, ratione alterius partis, id est, mentis habita, a materia longe abhorre, quum mens cogitationum



tationum receptaculum sit, omnesque illas, quae essentiam rei immaterialis consequuntur, proprietates teneat. Sed de hisce rebus infra differendum erit. Quum vero sana mens in homine solo existat, ibique actiones suas exferat, motusque recipiat, hominem ceteris rebus creatis longe antecellere, facili negotio defendetur. Sunt quidem bestiae, quarum vnum vel alterum membrum speciem membri cuiusdam humani prae se ferat. Hinc Ennius a Cicerone lib. 1. de natura deorum ita introductus legitur: *Similia quam similis, turpissima bestia, nobis?* Figura autem hominis & bestiarum est longe dissimillima. Forma enim hominis est tam elegans, pulcra atque venusta, formisque bestiarum dispar, ut optimo suo iure omnium praestantissima habeatur. Aptam quandam membrorum compositionem, quae oculos movet delectatque hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt, homini praecipue natura concessit. Id ipsi proprium ducitur, quod erecto corpore caeli adspiciendi facultate gaudeat. Scite Ovidius lib. 1. metamorph. fab. 2.

*Pronaque cum spectent animalia cetera terram,  
Os homini sublime dedit (DEUS) coelumque videre  
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Nec vero ornatissima tantum est structura corporis humani; sed vis rationis, qua destituuntur beluae, adhuc praestantior est. Etenim stupenda quadam virtute pollet, inque summis scientiis maximisque artibus se ita immergit, ut ex arduis rebus faciles, ex ignotis notas reddat. Quantum in rebus naturae valeat, audiatur Tullius lib. 2. de natura Deorum: *Quid vero? hominum ratio non in coelum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus: ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus: defectiones solis & lunae cognitae, praedictaque in omne posterum tempus, quae, quanta, quando futurae sint.* Quanta quoque sit eius virtus in homine tuendo ac conservando, idem ille lib. 1. de off. clare demonstrat: *Inter hominem & beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque*



quodque praesens est, se accommodat, paululum admodum sentiens praeteritum aut futurum: homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus, & quasi anteceSSIONES non ignorat, similitudines comparat, rebusque presentibus adiungit, atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias. Praestantiam hominis demonstrandi plures quidem a nobis adducerentur rationes, sed cum vereamur, ne in re fatis clara admodum multi esse videamur, neve iusto langius exordium extendatur, abruptendum potius, quam ulterius per texendum est huius materiae filum. Impigri enim verae sapientiae cultores in eo conveniunt omnes, quod praeter hominem vix ac ne vix quidem magni quid in terra existat. Huic itaque nomen *microcosmi* non immerito impositum est. Est sane summa omnium, quae sunt, rerum. Quidquid enim in orbe continetur, in se complectitur. Constat namque anima, quae similitudinem spirituum prae se fert; & corpore, quod res materia constantes repraesentat. Digna certe notatu sunt verba excellentis philosophi Antonii Le Grand, in instit. philos. part. 6. cap. 1. n. 1. *An (homo) inter animalia prodigium sit, an monstrum, merito inquiritur, cum disparibus adeo partibus constet, tantoque intervallo anima eiusque corpus dissident, ut non magis mirari subiret, si angelus bestiae iungeretur, & tenetbrae lucem sibi copularent.*

### §. III.

*Improbata  
antiqua ho-  
minis defi-  
nitione, co-  
natum in-  
dicatur.*

Hic mirandus homo ad utrasque partes, quibus constat, consideratus, utrum a Peripateticis per *animal rationale* adcurate fatis definiatur, merito inquiritur, quum nihil pro vero sit habendum, quod dubii quid in se comprehendat. Quod si dubitatio recte instituat, ac praeconcepatae opiniones abiciantur, non diffidimus, quin quisque praecudiciorum expertus descriptionem pro definitione minime admittat. Nec vero vllus erroris est incufandus, dum eam ut veram atque adaequatam definitionem nentiquam toleret. Si quis ratios



nes ab eo effugiet, ablegabitur ad supra nominatum caput Antonii Le Grand, cuius firmis argumentis resistere non poterit. Ibi quoque vera hominis definitio deprehenditur. Etsi haec res satis clara est, nonnullis tamen tam vehemens facatae opinionis pertinacia inest, ut ab ea non desistant, sed ipsi perpetuo adhaereant, ac pro quibusdam Aristotelicorum futilibus supervacaneisque doctrinis, tanquam pro aris & focis pugnent. Postquam iam intelligentiam nostram de homine breviter explicuimus, est quoque eadem de disparibus eius partibus generatim excutienda, sic ut harum ipsarum commercium tandem recludamus. Quandoquidem hic locus disserendi non modo valde sit copiosus ac diffusus, sed summa quoque cum difficultate laboret, ita ut dignus sit, qui ab iis, qui nos & studio, & iudicio, & ingenio, & reliquis dotibus naturae longe antecellant, discutiatur; fortassis erunt ii, qui id nobis vitio vertant, quod tam nobilem, tam arduam, tam lubricam, tamque diversam elegerimus disputandi quaestionem, cui solvendae impares nos habeamur. Sed id sunt admonendi, quod tenuitatis nostrae haud immemores, difficile hoc opus consulto ac deliberato in nos suscepimus, ne levisimis facillimisque rebus perpetuo infideamus, sed ut ad graviores ac difficiliore magis magisque tendere discamus. Ut itaque quivis B. L. innocua nostra conata in bonam partem accipiat, & optamus, & petimus, & confidimus, qui debitae brevitatis studiosissimos nos fore pollicemur.

### §. IV.

Est veri philosophi nullam rem ut existentem admittere, nisi eius existentia clare ac perspicue sistatur. Nam si essentiam veri id omne, quod aut animo aut sensibus occurrit, statim indueret, nec adcuratior cuiusvis rei consideratio contingeret, facile in plurimos errores incideremus, chimaeram pro re creata, fabulas pro historiis admitteremus, nec vllius vnquam rei veritas nobis constaret. Ut autem haec incom-

*Existentia  
mentis dis-  
bitatione  
quaeritur  
ac inven-  
tur.*



moda, veritati noxia, falsumque procreantia evitentur, necessitas sanae dubitationis, debitaque animi suspensionis in omnibus rebus multum commendabitur. Quod si ita sit, in dubium quoque vocari potest existentia & rei spiritualis, & rei materialis. De utraque autem antequam certi quid statuatur dubitatio evertatur, atque existentia utriusque adstruatur, necesse est. Quod si de ipsa rei spiritualis existentia dubitatur, vtrum sit aliquid, an nihil, in primis considerandum est id, quod dubitat, quodque anceps haereat. Hoc non potest esse nihil, quum nihil esse, sive, (id quod idem est,) non existere, ac dubitare, apertam contradictionem implicet, sed aliquid esse, sive existere, necesse est, quum id, quod dubitat, aliquid esse, clare percipiatur. Quandoquidem dubitatio est passio quaedam, orta ex eo, de quo dubitatur, concipi non potest, quomodo id, quod patiatur, nihil sit. Actio namque & passio, quamvis inter sese opponantur, ita ut id quod agat, vno eodemque respectu non patiatur, & vice versa; tamen in eo conspirant, quod demonstrant, illam rem, cui insunt, nullitatem (sit venia verbo) respuere. Hinc patet, dubitationem, quae ipsa non quidem res, sed potius modus rei cuiusdam dici meretur, existentiam rei, cui inest, detegere. Haec autem nulla alia res esse potest, quam mens, sive res spiritualis: dubitatio enim, ut modus rei cuiusdam corporeae nunquam percipi potest. Si enim vis quaedam dubitandi rei materiali propria esset, omnis differentia inter rem spiritualem, remque materialem, inter mentem corpusque facile tolleretur. Dubitatio igitur quum ex materia tanquam ex principio suo minime fluat, adeoque pro adtributo materiae agnosci non debeat; nihil obstat, quo minus statuatur, eam ex mente proficisci, ita ut pro eius adtributo habeatur. Quod si mens nihil esset, nihil esset dubitatio, nihil perceptio, nihil cogitatio &c. quae omnes menti inhaerent, absque ipsa mente, tanquam a fonte suo derivantur. Atque etiam si res desineret esse, de modis quoque eiusdem rei actum esset. Verum namque est illud axioma: *Nihilum nulla sunt adtributa, nullae proprietates, nullae qualitates.* Quamquam



quam mentis existentia dubitatione adstruitur, tamen non est ea sententia nostra, ac si nullo alio modo, quam dubitando demonstraretur. Nam si talis esset, probatio mentis existentiae lubrico niteretur fundamento, quod dubitatio interdum intermittitur, interdum quoque re dubia iam explorata, plane cessat. plura vero dantur rei spiritualis adtributa, quae existentiam eius satis clare designant. Non opus est, vt omnia ac singula adtributa vno eodemque temporis momento & quidem perpetuo in homine cognoscantur ad existentiam mentis demonstrandam: ad hoc namque efficiendum sat est, si vnicum eius adtributorum aliquid esse intelligatur. Audiatur de hac re summus ille philosophus Renatus Des Cartes part: I. princip: philos: num: LII. *Ex hoc, quod aliquod adtributum adesse percipimus, concludimus aliquam rem existentem sive substantiam, cui illud tribui possit, necessario etiam adesse.* Sat habemus, quod ex sola dubitatione existentiam rei spiritualis monstramus: nam nimis longum foret, si reliqua quoque eius adtributa, ad eam evincendam, in medium proferremus. In primis autem cogitatio, quae nunquam a re spirituali separatur, eam confirmat.

§. V.

Sic videmus, existentiam rei spiritualis ex se sola benescio eius adtributorum cognosci atque demonstrari. *Haec non in sensibus, sed in intellectu cognoscitur.* Igitur, qui opinionibus Aristotelicis decepti putant, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, a veritate longe averfi esse videntur. Nam quum magna detur multitudo rerum, magnaue vis veritatum, notionumque generalium, quae nullo sensu tangi, multo minus prius in sensu, quam in intellectu esse possunt, sensibus adhaerent, atque a ratione temere discedunt. Hi nondum didicerunt, sensus nobis a natura datos esse non eum in finem, vt veritates investigent, sed ideo praecipue vt saluti, & corporis, & animae prospiciant, omniaque ea, quae vtrique noxia sint, avertant. Ea sane est ratio multarum idearum, vt omnem sensuum captum excedant. Quis enim sensus comprehendere potest, quid sit dubitatio? quid cogitatio? quid



quid res spiritualis? quid existentia eiusdem? Hae talesque plures ideae per nullos sensus nobis occurrunt, neque ope oculorum; quia nulla figura, nullo colore, neque albo, neque nigro, neque alio quodam pictae sunt: nec aurium; quia nullus earum sonus, neque gravis, neque acutus audiri potest: nec gustus; quia nullus earum sapor, neque dulcedine, neque acerbitate linguam palatumque adficit: nec denique maior vis reliquis sensibus inest tales capiendi ideas. Digna sunt verba Antonii Le Grand, quae ex instit. philos. part. I. c. X. p. 48. n. 12. exseribantur: *Non igitur ideae ad sensus referuntur, sed ad ipsam mentem, quae facultatem habet illas producendi, & ex seipsa citra vim externam efformandi. Quamvis saepenumero mens a rebus, quae sensus feriunt, ad illas producendas excitetur: Quia in hoc casu non alio modo se habet, quam architectus, qui ad aedificium construendum pecunia, quae illi promittitur, ferri potest: verum quis insulse diceret, a pecunia aedificium originem deduxisse.* In mente itaque ipsa insident illae ideae sive imagines, quas mens cogitando format atque producit, quaeque res omnes menti obvias, quales sint, repraesentant. Sic nemo potest quidpiam sermone exponere, dummodo id, quod exponit, percipiat, nisi quoque certa quaedam idea istius rei, quam exponit, menti eius inhaereat. Si iam res sint spirituales, aut tales, quae nihil materiae in se contineant, in sensu nunquam esse possunt, sed tantum in intellectu; Sin autem materiales & corporeae, a sensibus exterioribus ad cerebrum, a quo mens independenter operatur, deferuntur.

§. VI.

*Demonstratur existentia corporis.*

Demonstrata iam existentia rei spiritualis, & quidem sine sensuum ope; de rei materialis existentia, non prorsus reiectis sensibus, (quum mentio eius saepe fiat) statim agetur. Existentiam rei materialis nemo facile negaverit; tamen, quum de omnibus rebus sobrie dubitari possit, nec aliquid vere affirmari debeat, nisi validis rationibus fulciatur.



tur, iniquo animo minime ferendum est, si dubitatio de existētia eius pariter instituat. Qua ratione autem & dubitatio diluatur, & existētia adstruatur, videamus, oportet. Quum nihil materiae ad existētia mentis requiratur, nec mens omne id, quod ipsi sensus sistat, pra re certa amplecti debeat, nisi in plurimos errores incidere vltro cupiat, quoniam in somniis per sensus vanitatem quandam interdum comperit: male non agit, si existētia rei materialis nondum probata, nec natura eius cognita, de hac eadem ambigat, quoad certas minimeque dubias existētia ipsius offēdat rationes. Nec vero potest mens inficiari, quin sibi insit idea rei corporeae, quin quoque sensus materiam sibi proponant: alius enim eam nunquam comprehenderet. Atque etiam eadem mens quum sui auctorem omnipotentem DEVM agnoscat, scit optime, eum, qui talem in se ideam excitavit, ita vt res corporeas clare ac distincte cognoscere possit, posse eas sine vlla difficultate producere. Vtrum vero extra mentem, an in mente tantummodo existant, anceps eadem haerere potest, quum, numne DEO placuerit has easdem ipso opere condere, an non, ipsum forte lateat. Quod si vero naturam earum diligentius examinet, sine vilo dubio talia inueniet adtributa, quae eis neutiquam inessent, si vera quadam existētia vacarent. Nec negare audeat, quin in rebus illis materialibus mensurabilitatem, mobilitatem, partibilitatem, impenetrabilitatem, & quae reliqua sunt adtributa, concipere se existimet. Huic quoque obiciuntur tot diuersae species rerum materialium, quae vt a rebus extra se positis proveniant, necesse est, quum illas aliter, ac ipsi occurrant, percipere non possit. Si iam ipsae res non essent causae harum idearum, penes mentem esset pro arbitrio suo de talibus sibi visis rebus sentire ac iudicare. Quid? quod vana atque frustranea esset facultas imaginandi, quae in corporis consideratione tota occupatur, quaeque ad corpora tantamquam praesentia semper adtendit, si nulla esset existētia rei materialis. Tandem quoniam mens a sensu commota materia

B



teriam quandam in tres dimensiones extensam, diversis figuris ornatam, variis motibus agitatam, diversi generis colores, sonos, odores, dolores exhibentem clare ac distincte percipit, tuto statuere potest, eam non esse fictam ac commentitiam, sed re vera existere.

§. VII.

*Mens & corpus sano sensu sunt substantiae.*

Etiamsi inter rem spiritualem, qua mens denotatur, & rem materialem, qua corpus humanum exurgit, grandis intercedit differentia, eo quod utriusque diversissima sint attributa: quum tamen in eo congruant, quod iis existentia tribuatur, e re esse existimamus, si, utrum nomen substantiae illis competat, ulterius inquiratur. Substantia proprio sensu sumta est res quaedam, quae per se, id est, sine ope alius cuiusdam rei subsistit, nec vlla vnquam alia re ad existendum indiget. Hanc substantiae significationem nec res spiritualis, nec res materialis meretur, quum per se neutra subsistere possit, sed per aliam quandam rem se longe praestantiorum vtraque subsistat, necesse sit. Nec vero haec iis inest natura, ut se in suo esse tueri, atque conservare queant, quemadmodum sibi suum esse dandum minime sunt capaces. Quare solus remanet DEVS, qui a se atque per se ita subsistat, ut omnibus aliis, quod ad eius existentiam adinet, remotis rebus, nihilo fecius in suo esse perseveret. Quod si nomen substantiae rebus extra DEVM positis imponatur, id longe alio sensu fiet, quum omnes, quotquot alias sunt res, a DEO dependeant, Deique concursu ad existendum indigeant. Sic eodem modo subsistit res, & spiritualis, & materialis; sed longe diverso utriusque auctor atque conservator.

§. IIX.

*Mens corpore notior est.*

Substantia rei spiritualis & materialis sano sensu comprobata, paucis quoque verbis, utrum mens corpore sit notior, investigare licebit. Scimus equidem, nonnullos praeiudicis captos statuere, notitiam corporis certiorum esse, quam mentis. Qvema



Quem in errorem ex eo inciderunt, quod mentem a corpore nunquam adcurate satis distinxerint. Hi quidem firmiter esse, se ipsos existere, quam aliud quidpiam, opinati sunt; Sed quum corpus suum, quod oculis viderunt, quodque manibus contrectarunt, per se ipsos potius, quam mentem intellexerint, quumque sensibus maximam vim percipiendi addiderint, de mentis natura percipienda ne quidem quidquam cogitarunt. Quod mentem corpusque adeo obscure confuderunt, eaque quae mentis sunt, sensibus adiudicarunt, aliter fieri non potuit, quam ut, neglecto ordine philosophandi, notitiam mentis non tam claram esse, ac corporis existimarent. Quarum autem ab opinione discedimus, statuentes, mentem corpore esse notiorum. Nam quum non pauciora, sed potius plura menti, quam corpori insunt adtributa, facile concludi potest, mentem non modo prius atque certius, sed etiam evidentius, quam corpus cognosci. Ut res quaeque plurimis gaudet adfectionibus: ita quoque est certissima atque clarissima. *Nihil vero, (ut supra dictum est) nullae sunt adfectiones.* Jam inter omnes constat, mentem nihil plane efficere, ut aliud quidpiam cognoscamus, quin ipsi in certiorum sui cognitionem perveniendi largior suppeditetur occasio. Hinc patet, plura in mente nostra, quam in vlla alia re deprehendi. Exemplo quodam res fortassis reddetur clarior: Si hanc ipsam dissertationem ex eo existere iudicamus, quod eam videamus ac legamus, multo magis exinde nobis iudicandum est de certa mentis nostrae existentia: nam forsitan fieri posset, ut iudicarem, nos eam videre ac legere, quamvis in rerum natura non esset; non autem, ut id iudicarem, & mens nostra, quae id iudicat, non existeret. Quamobrem aperte cognoscimus, mente nostra nihil facilius, nihil dilucidius a nobis percipi, quum *ne ipsa quidem corpora sensibus aut imaginandi facultate, sed solo intellectu percipiantur, nec propterea percipiantur, quod videantur aut tangantur, sed quod intelligantur.* Qui hanc materiam fusius explicatam legere cupit, evolvat *Car. 2. medit. ex prima eius philosophia.*



## §. IX.

*Existencia  
rei spiritua-  
lis a priori  
ignota est.*

Ex iis, quae iam dicta sunt, facile constat, rem spiritualem neque DEum, neque angelum quendam heic loci denotare, sed tantum mentem humanam, cui spiritus nomen merito tribuitur. Hanc existere, substantiam esse, immo corpore notiozem, nosse non sufficit, ideo quid sit, merito quoque quaerendum est. Quanta iam fuerit multitudo virorum doctissimorum atque acutissimorum, qui in investiganda mentis natura nondum inventa multum desudarunt, mentemque suam vehementer torserunt, verbis vix exprimi potest. Ecquis igitur nobis succenseat, si incitiam nostrum de essentia mentis ingenue fateamur? Nemo enim scire potest, quae in re essentia mentis adcurate consistat. Nonnulli, quos fortassis aut puduit, aut piguit ignorantiam suam de essentia mentis prodere, tam vehementer errarunt, ut impias ac dictu horrendas opiniones de ea divulgaverint. Horum principes habentur *Benedictus Spinoza*, *Stoſchius*, *Hocheisen*, *Christ. Thomafius*, *Andreas Rydigerus*, *Christ. Wolffius*, qui omnes in erudita illa dissert: *de novo Systematis philosophici Schemate* p. 34. §. 25. a civibus meis dilectissimis bina circiter abhinc trimestria introducti sunt. Quorum igitur nugae, ne actum agere videamur, ex industria praeterimus. Statuisse Cartesium, mentis essentiam in cogitatione consistere, ita ut mens & cogitatio pro vna eademque re habeatur, inter omnes constat. Sed quum cogitationibus prius aliquid in mente admittatur, illi quoque sententiae adensus merito denegandus est.

## §. X.

*Cogitatio est  
praecipuum  
mentis ad-  
tributum.*

Cogitationem esse praecipuum rei spiritualis attributum, eiqve essentiale, ut nunquam ab ea separaretur, sed semper eius existentiam evincat, nemo facile negaverit. Nam sublata a mente cogitatione, illa ut res quaedam nunquam confideretur, sed existentia ipsius prorsus nesciretur. Quare definitio mentis, quod sit res cogitans, a Cartesio tradita, dummodo re-

ete



Este intelligatur ac explicetur, non potest non probari. Haec facultas cogitandi continet in se sensum quendam internum atque conscientiam, quam in nobis certam animadvertimus de iis omnibus, quae agimus, quaeque patimur. Dum iam vel percipimus, vel volumus, vel sentimus, vel imaginamur; haud inscii sumus & perceptionis, & voluntatis, & sensationis & imaginationis. Ita haec ipsa cogitatio se extendit non modo ad intellectum & voluntatem, sed quoque ad imaginationem ac sensum: quia cogitare idem nobis est ac intelligere, velle, imaginari atque sentire. Quod si quis existentiam suam exinde probare conaretur, quod terram pedibus tangat, & tantummodo illum tactum, qui pedibus fit, intelligeret, nec ad mentem, quae per pedes sentit, respiceret, facile falleretur, quum remota omni conscientia mentis de tactu pedum, nulla ipsi superesset sive de se ipso, sive de pedibus, sive de terra iudicandi facultas; quumque etiam, (ut saepe fit in somnis) posset putare, pedes terram tangere, etiamsi ipse terram non calcet, neque fortassis pedes habeat: sin autem per illum tactum intelligat sensum sive conscientiam tangendi, menti propriam, quae sola sentit sive cogitat, terram se pedibus tangere; non errat, sed de existentia sua certo concludit. Et quamquam pro variis cogitandi modis sumitur cogitatio; tamen illi sine hac nunquam percipi sive cognosci possunt. Dum quis cogitat, non statim necesse est eum velle, aut recordari, & sic de ceteris; sin autem velit, aut recordetur, eum cogitare necesse est. Res igitur spiritualis quamdiu existit, cogitare nunquam desinit. Nec somnus, omnibus membris corporis defatigatis ac quiescentibus; nec infantia; nec inopia materiae; nec aliud quidpiam impedire potest, quo minus haec ipsa semper cogitet. Obiecto, in quod tendat, in operationibus suis non eget; quod, remotis omnibus iis, quae externos corporis sensus feriunt, nec tamen idea sui ipsius, nec veritatibus, per se notis, nunquam privatur. Quemadmodum nec lux, nisi luceat; nec calor, nisi calefaciat, esse potest: Sic quoque mens cogitationis experta nulla datur, nec unquam dari potest.



## §. XI.

*Modi cogitationis recensentur.*

Rei Spirituali quum variae operationes non sint denegandae; varia certe principia, a quibus derivantur, statuenda sunt. Haec nihil aliud sunt, quam diverſi quidam modi cogitandi, qui in ſeſe capacitatem quendam varietatis involvunt. Horum eſti ingens eſt numerus, tamen inſtar plurimum rivulorum, ad duos maiores rivos, id eſt, *intellectum & voluntatem* facile reducantur, adeo ut ne quidem quidquam in cogitatione exiſtat, quod non alterutri harum facultatum adſcribatur. Quare *ſenſatio, imaginatio, memoria ac pura intellectio* ſub perceptione intellectus. *Adpetitus, averſatio, adfirmatio, & negatio* ſub operatione voluntatis accommodata ſatis comprehenduntur. Quamquam vero *intellectus ac voluntas* a ſe invicem diſtingvuntur, ut utriusque effectus bene diſcernantur: tamen inter eos nulla intercedit realis, ſed tantum modalis diſtinctio. Par quoque eſt ratio reliquorum modorum.

## §. XII.

*De intellectu agitur.*

Sunt primum conſiderandae iſtae ſpecies, quae ad intellectum pertinent. Pura intellectio in eo ſeſe exerit, quod mens, remotis omnibus cerebri veſtigiiſ, in ſeipſam recurrit, ſolam illam ideam, quam de ſe habet percipiendo. Sic omnes ſuas cogitationes intelligit, nec meditationem rerum ſpiritualium, ne quidem materialium cum ſuis attributiſ, univverſalium atque communium notionum deponit. Hic vero intellectus, qui a corpore non dependet, ſed omiſſis omnibus rebus externis, ſeipſo ſuiſque ideis tantum delectatur, a mente non ſeiuungitur, ſed eſt ipſi tam coniunctus, quam qui coniunctiſſimus. Alia autem eſt ratio imaginationis. Quae namque ut fiat, opus eſt corporis beneficio. Etenim mens in eo imaginatur, quod, eſti res quaedam ſenſui externo non ſiſtitur, ſed a conſpectu oculorum quam longiſſime remouetur, tamen ad veſtigium eiſdem rei cerebro inſixum ſe accommodat. Huic mentis perceptioni extra cerebrum locum non



non habenti occurrunt res duntaxat materiales, eademque  
 particulares. Quandoquidem obiectum intellectus latius ex-  
 tenditur, quam imaginationis, inter utramque hanc faculta-  
 tem multum interesse discriminis, facile patet. Alio quoque  
 modo fit sentatio. Nam ut anima humana rem quampiam  
 per sensationem percipiat, necessario requiritur rei eiusdem  
 percipiendae praesentia, ut illa sensus externos moveat, ut  
 per hos eius simulacrum ad animam penetret. Hae duae  
 proxime adductae facultates non solum menti, sed simul corpori  
 originem suam debent, utpote quae ex coniunctione mentis  
 & corporis procedunt; adeoque non purae, sed mixtae no-  
 minari merentur. Eiusdem quoque generis est memoria, qua  
 mens ope cerebri res sibi obiectas meminit. Quare dum ve-  
 stigia quaedam rei a mente antea perceptae in cerebro exsi-  
 stunt, mentique obversantur, haec eadem mens ad illa vesti-  
 gia adtendens, istius rei recordari dicitur. Huic quoque addi  
 potest reminiscencia, quae plus quam memoria in se comple-  
 ctitur. Ad hanc enim sufficit, ut species rei simpliciter oc-  
 currat; ad illam vero requiritur, ut mens rem memoria per-  
 ceptam recognoscere se animadvertat. Recognoscimus vero  
 nos brevitatis esse debere studiosos: obque id tam paucis ver-  
 bis modos quosdam mentis proponimus.

§. XIII.

Deinde nobis obvenit, quid de altera maiori mentis  
 facultate sit sentiendum. Ut intellectus in rerum perceptio-  
 ne occupatus, quid verum, quidve falsum sit, exquirat; ita  
 quoque voluntas, lumine rationis praecedente, in rebus bonis  
 eligendis, malisque reiiciendis versatur. Haec itaque nihil  
 aliud est, quam potentia quaedam, quae in determinatione  
 mentis consistit, ita ut id, quod clare percepit intellectus, aut  
 afirmet, aut neget. Haec sua sponte non raro agit in eo, quod  
 necessitati non obnoxia, actionis suae origo habeatur. Nec  
 tamen libertas quaedam ipsi deneganda est. Nam dum una  
 vel altera res ipsi proponitur, pro lubitu potest vel agere, vel  
 non

*Voluntas  
 ostenditur.*



non agere, aut dum plures res ei simul obiiciuntur, penes eandem est rem vnam, ceteris neglectis, eligere. Differt itaque spontaneitas voluntatis ab eius libertate nulla alia ratione, quam quod res cogitans per *illam* se determinat, atque omnes motus actionesve ab eadem productas conficit, per *hanc* vero eligendi potestatem tenet. Contrarium sane esset naturae voluntatis, si invita aliquid vellet, ac contra aliquid pugnans, in idem illud raperetur. Quare tam libera est voluntas hominis, vt a nullo agente ad aliquid agendum, aut non agendum cogi possit: quia nulla res agens essentiam alterius rei destruiere potest. Ea profecto est natura omnium actionum a sola voluntate promanantium, vt cum voluntate nunquam non fiant, nec vnquam cogi possint. Hinc patet, voluntatem in indifferentia quadam nevtiquam consistere. Nunquam enim indifferens dici meretur, nisi cum ipsam latet, ad quid se determinet, aut intellectus ipsi non clare satis proponit, quid horreat, quidve confectetur. Causa igitur talis indifferentiae praeter inopiam rationum, ad commouendam voluntatem, vt vnum prae alio eligat, sufficientium nulla existimatur. Quando itaque voluntas, nulla ratione vnum magni, alterum parvi faciendi deprehensa, haesitat, tum indifferens est, parumque ipsi inest libertatis. Nam indifferentia est infimus libertatis gradus, qui in ea nullam perfectionem, sed tantummodo mancā mutilamque notitiam declarat. Si quis igitur peccet, libertate arbitrii sui abutitur, involucrisque indifferentiae intricatur, quia id quod patrat mali, non clare cognoscit. Sunt haec dicta de altera mentis facultate, quae variis modis, vt supra indicavimus, operatur. Non est, quod varias eius operationes multis verbis proferamus, quum mentione earum tantummodo facta, quid sibi velint, e vestigio capiatur.

§. XIV.

*Judicium sibi tribuit & intellectus & voluntas.*

Judicatu autem quam difficillimum est, vtri harum maiorum iam declaratarum facultatum adiiciatur *judicium*, quod intellectus non omni iudicio destitui videatur, quodque voluntas



voluntas suam sibi iudicium vindicare non dubitet. Videndum igitur est, utrum alteri desit, an autem ambabus competat. Sunt in primis antiqui illi Aristotelici, qui iudicium voluntati plane denegatum, soli intellectui adscribant. Nec vero defunt, qui intellectum omni iudicio privent, voluntatemque eodem locupletent. Horum ex numero nominari praefertim meretur *Anton: le Grand*, qui in insit: philos: part: IX. c. V. §. 1. solius voluntatis modis iudicium ad censere sustinet. Ad hoc statuendum, ut nobis videtur, exinde fuit deceptus quod intellectum potentiam mere passivam, quae in hoc consistit, quod rerum ideas recipiat, & passive se habeat in ordine ad suas perceptiones; & voluntatem mere activam, quae se determinat ad omne illud amplectendum aut fugiendum, quod intellectus clare percipit, esse censuerit. Vid: loc: cit: Quum iam intellectum in mera passione posuerit, & iudicium nihil passionis, sed solum actionis quid in se contineat, non potuit non iudicium soli voluntati subicere. Hinc quoque est, quod nullos errores intellectui, sed omnes voluntati addit. Vid: eius insit: philos: part: I. c. III. §. XI. A qua sententia non abhorret ipse *Cartesius*. Vid: passim eius princip: philos: & quidem part: I. de principiis cognitionis humanae. Neutri autem harum opinionum, neque Aristotelicorum, neque Cartesianorum plane ac simpliciter adfentire audemus, quum suis utraque difficultatibus non facile tollendis laboret. Nobis itaque quam optimum videtur media via incedere, adeo ut utriusque suum fervetur iudicium. Antequam vero id demonstrare poterimus, destruendum est illud principium, quo recentiores sententiam suam admodum speciosam ac subtilem corroborare conantur. Sic negamus intellectum in mera passione consistere, adstruendo, eum & active & passive se habere. Nam quandoquidem actum intelligendi non tantum recipit, sed quoque producit, nihil obstat, quo minus intellectus potentia activa & passiva simul habeatur. Ille dum obiecta quaelibet percipit, eorum ideas depromit, eademque imaginum instar nativa atque insita vi depingit. Quid? quod in rebus intelligendis atque dignoscendis praeter



ter perceptionem adtentio quaedam animi, actionem involvens, requiratur, necesse est. Ad haec quoque accedit, quod intellectus, cuius singularem virtutem in se quisque animadvertit, in rerum nominibus iam inventis versetur, ita ut componenda componat, dividenda dividat, ratiocinetur, atque ordine omnia disponat. Est elegans quaedam dissertatio de *intellectu agente* Praefide celeb. S. S. Theol. Doct: IOANNE STEVCHIO, tunc temporis Prof. Reg: & Ord: hodie autem Superintendente Wermelandensi longe dignissimo Vpsalis habita, quae potissimum propter argumenta iudicium intellectus adferuentia legi meretur. Quum itaque intellectus non tantum sit facultas percipiens, sed quoque cognoscens atque diiudicans, quin iudicium ad eum pertineat, nemo facile cum rationibus inficiabitur. Tamen voluntati non omne demitur iudicium, quod eo de rebus perceptis atque cognitis decernat. Si igitur iudicium idem est quod examen ac diiudicatio rei cuiusdam, intellectui adhaeret; sin autem significatio electionis ipsi additur, a voluntate non recte seiungitur. Ipse Cartesius etsi iudicium voluntati quam maxime addit, intellectui tamen id omne adimere non audet. Quare ipsa eius verba ex parte I. princip: philof: num: 34. exscribere lubet: *Ad iudicandum requiritur quidam intellectus, quia de re, quam nullo modo percipimus, nihil possumus iudicare: sed requiritur etiam voluntas, ut rei aliquo modo perceptae assensio praebetur.* Sic cavendum est, ne iudicium, diverso modo sumtum, vni aut alteri soli, sed diversis facultatibus tribuatur.

§. XV.

*Opiniones quaedam de essentia rei materialis reiiciuntur.*

In superioribus patefacta existentia rei materialis, sub examen quoque vocabitur eius essentia. Hanc non efficit pondus sive durities, quae exinde exsurgit, quod motu cessante, quiete facta, multitudo corporearum partium intime inter se coniungatur, mutatioque cohaereat, ita ut aegre seiungatur, nec nisi vehementiori motu dissolvatur. Nam cum illae partes durum corpus efficientes, ante compositionem non fuerint



rint nihil, intelligi non potest, quomodo per illam, ex qua durities oritur, essentiae participes reddantur. Sic dissolutio partium corporearum non tollit earundem essentiam. Haec namque una eademque est, si partes vel separatae maneant, vel coniungantur, vel distrahantur. Quamdiu itaque coniunctio earum duret, tamdiu quoque durities quaedam sentitur. Simulac vero distractio harum ipsarum contingit, statim omnes perit durities. Haec nullo alio modo sensum adfcit, quam quod particulae globum vel massam quandam constituentes, motui manuum nostrarum illas contrectantium obstant. Quodsi eadem, qua occurrunt celeritate, retrocederent, durities nulla esse existimaretur. Vt iam vis duritiei in essentiam corporis minime incurrit, ita quoque figura five color quivis non eo se extendit, vt materiam in se comprehendat, quum, sublato omni genere colorum, nihilo fecius integra remaneat materia. Haec non est *materia prima* Aristotelicorum, nec villo modo cum ea congruit. Quantum enim aliquid a nihilo distat, tantum quoque haec ipsa, quam nos statuimus, materia a materia illa prima abhorret. Haec enim, quid sibi velit, a nemine, vt opinamur, percipi potest. Nihil autem in rebus physicis magis absonum esse videtur, quam id quod omnem & imaginationem & intellectum sibi terfugit, pro vero agnoscere. Quod si ita fit, nullo modo materia illa prima, quippe quae, nec imaginando, nec intelligendo, capi potest, bene est excipienda. Ne autem quis existimet, iniuriam Aristoteli inferri, audiat non tantum, vel legat haec verba ipsius Aristotelis, sed quoque neglecto omni praepostero amore quamvis falsam sententiam probandi, penitus ea consideret: *Materia neque est quid, neque quantum, neque quale, neque eorum aliquid, quibus ens dicitur determinatum, neque eorum negationes; sed est id, cui quodlibet horum accidit.* Arist. 1. metaph. c. 1. Quum Peripatetici materiam aliquam primam essentia, quantitate ac qualitatibus nudatam, nullo intellectu perceptam, nulla imaginatione formatam, sed cerebrino tantum figmento inventam admit-



tant; hanc eorum sententiam improbare merito licebit. Haec enim tam lubrico nititur fundamento, ut seipsa destruat: hinc eam multis infirmare argumentis supervacaneum foret. Digna itaque est materia illa prima, substantia illa commentitia, quae ex orbe terrarum exulans, ad subtilem sui inventorem, patronosque eius constantes confugiat. Tantum enim abest, ut in operibus rerum naturalium investigandis commodum secum ferat, ut potius impediatur, quo minus illa explicentur. Adduntur quoque ipsi fictae quaedam *formae substantiales*, a corpore realiter distinctae quae materiam tota sua perfectione donant, adeo ut praeter illas omnibus adtributis destituatur. Sed qua ratione *materia prima*, quae formas illas natura praecedat, & existentiam, & reliquas proprietates ab iis accipiat, intelligi non potest. Nam materiam forma priorem esse; & materiam a forma existere: sunt sensus sibi non consentanei, quorum alteruter tantum sibi constat. Est *causae* natura ea, ut *effectui* suo nobilitate non cedat: nec huius vis talis est, ut *illam* existentia adtributisque locupletet. Ex hisce omnibus clarissime patet, materiam illam primam antiquorum Philosophorum non pro vera, sed pro fictitia tantum haberi debere. Tandem quoque inquiri potest, utrum essentia rei materialis sensibilitate exorbeat. Non enim desunt, qui id adstruant, eo quod nulla res praeter corpus tangi queat. Certum profecto est, ne quidquam quidem vel durum, vel molle, vel frigidum, vel calidum dari, quin quoque idem sit tangibile. Tamen sensibilitatem pro essentia materiae admittere non sustinemus. Materia enim esse non definit, sed perpetuo eadem manet, etiamsi nullus esset sensus, quo tangeretur. Sensibilitas ex numero proprietatum materiae non quidem excluditur; sed tamen exinde totam essentiam corporis minime exhaurit. nam nulla subest necessitatis ratio, ut quaevis vel minima materiae particula sensibilis semper habeatur, propterea quod omnis materia, dummodo in minutissimas particulas, poros nervorum nostrorum magnitudine non exaequantur, dividatur, sensibilitatem respuit. Etsi vero  
materia



materia sensum saepissime adficit, exinde tamen essentia non conficitur. Quare ad aliud aliquid internum, atque omnibus tanquam numeris perfectum adtributum respiciendum est.

§. XVI.

Tum demum, rejectis variis de essentia rei materialis opinionibus, dissimulandum non est, quaenam nobis quam maximè placeat sententia. Quia *Cartesius* vir acutissimi ingenii, essentia materiae animo saepius volutata, eam extensione probare admissus est. Ideo materiam esse rem extensam in longum, latum & profundum tradere non dubitavit. Hanc eandem ipsius sententiam merito probamus, quum nomine materiae generatim perspectae nihil aliud, quam extensum aliquid imaginationi sistatur. Nec potest ipsa mens materiam five corpus alio modo, quam ut extensum concipere. Haec nulla unquam ratione, a materia separari potest: nihil enim a quantitate tolli potest, quin idem ipsum ab ipsa materia auferatur; sic vicissim: si quidquam ex materia periret, quantitati quoque aequali magnitudine pereundum esset. Ergo quantitas est praecipuum aliquod adtributum, quod ab essentia corporis removeri nequeat. Nullum datur in tota rerum natura genus corporis, extensionem plane recusantis; five enim coelum cum omnibus suis corporibus repletum spectetur, five terra cum illis, quae ex ea nascuntur, consideretur, extensio aequè in coelestibus ac in terrestribus rebus patefiet. Nec ulla praeter materiam existit substantia, cui extensio iure tribuatur. Hac enim caret omnis substantia intellectualis. Quamvis immensus atque infinitus ille *DEUS* omnem materiam extendat, tamen ei non competit extensio. Atque etiam remotis a materia omnibus illis, quae ei adhaerere possint, tamen durante illa, durat quoque extensio. Et si divisibilitas in partes ad ipsam pertinet, tamen non est prima proprietas, quae ei inesse concipitur: supponitur namque extensio, quam deinceps sequitur divisibilitas. Perfecto nihil roboris habet opinio eorum, qui plus extensionis in corporibus rarefactis,

*Essentia corporis probatur.*



quam condensatis reperiri putant. Quod illae particulae corporeae, quae per poros corporum rarefactorum repunt, sua gaudent extensione, quam cum illis communicare ita non possunt, ut sua priventur quantitate. Fieri non potest, ut aliquid nova extensione, sive nova quantitate adaugeatur, quin quoque pariter nova res extensa, i. e. nova materia ipsi addatur.

S. XVII.

De divisibilitate corporis.

Rei materialis essentia, prout intellectus, qui finitus est, nec omnia perferutari potest, eam capit, considerata, praecipuae eiusdem adfectiones cognoscendae sunt. Harum priorum locum occupat *divisibilitas*, quae in eo consistit, ut quaevis materia habeat partes extra partes, adeoque dividi queat. Etiam si haec res adeo clara sit, ut nihil fere inveniat, quod eam obscuret; tamen non desunt, qui nova corpora, i. e. indivisibilia in orbem introducere conati sint. Haec pro principiis, ex quibus cetera deriventur, sive pro elementis, ex quibus cetera componantur, ab iisdem habentur. Quum autem entia sine necessitate, quae quoque heic nulla urget, non sint cumulanda, talia corpora indivisibilia non recte agnoscuntur. Pereunt hac ratione atomi, quas maxime tenues ac subtilissimas, ita ut nullo modo dividi, nec ulla arte diminui possint, putabant veteres. Fieri non potest, ut tales atomi (liceat quoque nobis eas pro materiae partibus sumere) ex sua natura divisionem detrectent, quum si quaedam dentur, non possint non esse substantiae extensae. Quod si ita sint, ut divisibilitati subiiciantur, necesse est. Nec vero tam parvae partes corporeae finguntur, quin adhuc in duas saltem minores cogitatione dividi possint. Haec quum eas dividere possit, ne iudicium a cognitione desectat, quod facile fiet, si atomos sive corpora indivisibilia dari adfirmemus; statuendum est, omne corpus esse divisibile. Id constat tantum exinde, quod omne corpus sit extensum, Quod si non divideretur, nec quoque extenderetur, adeoque corpus esse desineret. Nam res quaedam



dam extensa, ut indivisibilis percipi non potest, quum in eo quod extensa sit, diversis loci punctis respondeat; quod dum sit, una pars extra alteram consistere facile concipitur. Nobis equidem per parvas illas materiae partes dividendi vis deest; DEO autem soli competit, quum potentia eius, quae certis limitibus se coerceri non patitur, sine dubio tam late se pateat, ut divisio earum ipsi difficilis non videatur. Eo igitur modo a DEO disposita est omnis materia, ut una pars ab altera, et si non actu, tamen potentia, nunquam non distet, atque ab omni indivisibilitate sic abhorreat, ut quamdiu extensa est, id est, longitudine, latitudine & profunditate constat, dividi non recuset. Hinc intelligimus, divisibilitatem proprietatem materiae esse adeo essentialem, ut ab ea nunquam separetur, quippe quae ei perpetuo adhaeret, eandemque ipsam necessario sequitur.

### §. XIIX.

Praeter hanc propria quoque est rei materia si impenetrabilitas, quae in eo quam maxime elucet, quod uni parti materiae locum alterius partis occupandi potestatem denegat. *De eius impenetrabilitate.* Negativa quidem est haec materiae proprietas, sed tamen (ut perceptu est facillimum) ipsius aequae est ac divisibilitas. Haec namque ut existit, ubi partes extra partes reperiuntur; ita quoque illa suos cuique parti limites praescribit. Quod si pars altera alteram sibi aequalem penetraret, eiusque locum occuparet, vel altera pars profusa tollatur, vel dimidium utriusque partis in nihilum redigatur, necesse est. Fingamus duo puncta sibi aequalia, a se invicem distantia, propius sibi adpropinquare, ita quidem ut arctissimo nexu inter sese cohaerent, unumque punctum alterum penetrare conari: non tamen est negandum, quin ut duo diversa puncta, qualia ante coniunctionem fuerunt, concipiantur. Et quandoquidem utraque illa puncta certa sua constant quantitate, nihil est, quod cogat, ut coniuncta aliquid quantitatis amittant, sed ut extensionem duorum punctorum in ipsa coniunctione retineant.



tineant. Haec igitur utraque extensionem tantum unius puncti penetratione conficere non possunt, nisi dimidium eorum partis destruat. Hinc manifestum est, materiam, cuius partes extenduntur, semper manere impenetrabilem.

## §. XIX.

*De formis  
rei materiali-  
alis.*

Adtributis, & illo, quod essentiam rei materialis constituat, & his, quae eam necessario comitentur, agitatis, quae nam formae ipsam ornent, porro inquirendum est. Potest equidem materia, quippe quae substantia est, sine illis clare cognosci; illarum autem, quia accidentia sunt, extra eam nulla existat clara perceptio. Haec tamen earum est vis atque efficacia, ut materiam adficient atque variant, ita ut omnis fere actionis expers. ad varia effecta exferenda quam aptissima reddatur. Ad haec vero ineptae atque insulsae putandae sunt formae illas substantiales Aristotelicae, quippe quae unum cum materia constituentes, eam (ut supra dictum est) omni sua perfectione exornant, imo substantiam magis ingrediuntur, quam ipsa materia. Hae quum rem perspicuam obnubilent, latissimamque viam ignorantiae pandant, ut inutiles merito reiiciuntur. Eiusdem quoque ponderis sunt, occultae illae qualitates, atque accidentia realia, quae a subiectis suis separata existere finguntur. Haec omnia, quae miram absurditatem sapiunt, nominare, non infirmare, animus tantum est. Nec dignus est ordo praedicamentorum Aristotelicorum, qui integer & sacro-sanctus habeatur, cum vehementer claudicet, nec clarae, nec distinctae rerum perceptioni inserviat. Taudet sane eundem enumerare, quod novem illa genera accidentium talia non sint, qualia ibi exhibentur. Quare hisce ommissis, verae nec ullo modo fucatae formae, quae diversitatem corporum, i. e. eorum ortum, interitum, naturam & proprietates producant, observandae sunt. Hae quum materiae, ut principia quaedam, quibus operetur, addantur, cuius ad eas adfidenti tam clarae ac perspicuae occurrere debent, ut de earum veritate ambigendi omnis ratio abripiatur. Tales quoque



que sunt illae, ab optimis maximeque sanis philosophis in optimam partem acceptae probataeque formae, eademque numero quinario omnino comprehensae: *Magnitudo, figura, situs, motus* atque *quies*. Hi omnes modi, quin materiam varie dissonant, nemo fortassis negabit. Non enim tantum viri acuti ingenii, atque altioris indaginis, sed quoque rudes ac imperiti eos clarissime deprehendunt. Quod adinet ad illorum cognitionem, hoc interest discriminis, quod hi sensu quodam externo, cui quotidie obversentur, eos capiant; illi autem rerum cortice non contenti, quorum cogitationes per superficiem in interiora rerum penetrant, hos ipsos firmis argumentis expiscantur. Quamvis vero quam diligentissime rimarentur, immo quam sagacissime odorarentur, vtrum nostris plures dantur formae, nullas profecto offenderent, quin sub illas commode reducerentur. Sufficiunt enim eadem nostrae ad varietatem corporum procreandam. Quamobrem vim harum ipsarum sese prodentium demonstrare non est supervacaneum. Mensuram quandam materiae addit magnitudo, quae dum illam definiat, *quantitas continua*, dum autem numerum partium exhibeat, *discreta* audit. Huic viam praeparat *motus*, qui efficit, ut partes alias in se cohaerentes a se invicem disiungantur. Quod si nulla partium disiunctio per motum sive, mutationem situs obtingeret, nulla quoque daretur determinata *quantitas*. Sequitur deinde *figura*, quae superficiem materiae ita instruit, ut extremitates ipsi congruentes conspiciantur. Huc quoque pertinet *situs*, qui corpora varie disponit, ac suum cuique locum designat. Tandem argumen claudit *quies*, quae ita continet corpora, ut in loco suo permaneant, donec ex eodem ab alio quopiam deturbentur ac deiciantur. Ut varietas materiae exoriat, exorta quoque conservetur; id efficiunt hae formae. Nec tamen opus est, ut in formando quocunque corpore omnes concurrant, quum earum plurimae ad id efficiendum satis sint accommodatae. Nec quoque fieri potest, ut omnes concurrant simul, quum ha-



rum duae sibi adeo contrarientur, vt admota vna, altera expellatur. Non enim post vnum idemque corpus vno eodemque puncto temporis simul moveri ac quiescere. Hoc loco verum est illud axioma: *Contrariorum alterum inesse subiecto capaci, alterum non inesse necesse est.* Sed haec haecenus.

## §. XX.

*De causa  
commerci  
quod menti  
cum corpore  
intercedit.*

Postquam jam vidimus, qua ratione res spiritualis, quae mentem conficit, & res materialis, ex qua corpus abfolvitur, ex adtributis ac modis suis quodammodo cognoscatur, quae inter vtramque intercedat commercium, ostendere operae pretium erit. Quum autem hoc ipsum ex vnione quadam tanquam effectus ex sua causa deducatur, quid de hac statuendum sit, prius differendum est. Quin detur vnio quaedam mentis & corporis, nemo ignorat: quo modo autem fiat, & qualis sit eius ratio formalis, omnes vel sapientissimos haud dubie latet, quod nemo adhuc inventus est, qui eam invenire potuerit. Fuerunt equidem, qui de certissima huius unionis cognitione sibi gloriati, multa in alios tanquam praecudiciis infantiae & scholae opinionibus deceptos inuesti sunt. Sed ipsi nimium sapientiae sibi arrogantes, ignorantia huius rei non re, sed opinionibus tantum sublata, id quod ex vnione fuit, pro ipsa forma vnionis habuisse videntur. Quum vero nihil vt verum sit adfirmandum, nisi id tantum, quod clare ac distincte percipi queat, quumque, nulla detur clara ac distincta huius rei intellectum fugientis perceptio, cavendum est, ne quid certi de re ignota statuatur, neve ad sensus opinionum eorum, qui coniunctionem animae & corporis formalem satis intelligere se putant, temere praebeatur. Nam quum mens nostra nullius materiae particeps, sed spiritualis tantummodo sit, quemadmodum ideae nostrae de eadem testantur, supraque evictum est, facile quisvis, cui fa-

num



num est sinciput, concedet contestabiturque, vi percipiendi se desitutum esse, quo modo res materialis cum re spirituali, omnisque materiae experti componi queat. Etiam si id in promptu est, dari unionem mentis & corporis; tamen modus eius, qui perspicuus, cognitus atque certus esse deberet, est anceps, perplexus, occultus atque incertus. Haud sane parva admiratio mentem ipsam subit, dum de unione sui cum corpore cogitet, nec tamen vlla sua cogitatione perfrutari possit, in quam re consistat. Non enim mens & corpus hac ratione inter se uniantur, vt inter sese confundantur aut commisceantur, quod mentis natura nullam admittit confusionem aut misturam. Quid? quod mens simplex est, nec vllis constat partibus; ideo quoque per tantum quendam compositio vtriusque minime accidit. Nec vero locum hic habet inhaesio quaedam, quia, quam vtraque pars per se subsistat, nec altera pars pro alterius accedenti habeatur, altera alteri inhaerere non potest.

§. XXI.

Vt modus unionis arcanus atque absconditus est, De commercio illud, quod corpus inter animamque intercedit, certissimam vtriusque unionem ostendit. Quamdiu enim illud durat, tamdiu nullum est dubium, quin haec quoque esse concedatur. Ab hac namque illud oritur dependetque, cumque hac eadem id ipsum simul cessat ac terminatur. Cum res spiritualis, resque materialis inter sese agunt patiunturque, tunc commercium vtriusque haberi cognoscique existimandum est. Consistit namque idem ipsum in eo, quod suas cum se invicem communicent actiones ac passionis. Sic menti per illam unionem vis quaedam corpus agendi adhaeret, nec vi mentem movendi corpus desitutum est. Quia tale mutuum commercium

D 2 cium



cium menti cum corpore intercedit, nullus non dubitat, quum ipsa experientia quemvis sui ipsius memorem id edoceat. Dependent itaque interdum operationes corporis a mentis cogitationibus: experimur enim quam saepissime corpus nihil acturum, nisi antea a mente passum, atque ex cogitationibus quasi excitatum fuerit. Atque etiam interdum id contingit, ut cogitationes ex motibus corporis adficiantur. Unionem mentis cum corpore humano cum ostendere conatur Renatus des Cartes in part: 2. princip: philos: num: 2. provocat ad illas, quae a corpore oriuntur actiones, quibus mens movetur: *Menti nostrae &c. humanum corpus adpellatur.* Quamquam vero tale commercium utriusque partis humanae ex actionibus ac passionibus confectum ac probatum ducitur; tamen ut utraeque partes simul & semel agant, simul & semel patiantur, non necesse est, quod ad illud constituendum ac conservandum sufficit, ut altera agat, alteraque patiatur. Hinc manifestum est, commercium animae & corporis in mutua relatione actionum & passionum, ex cogitatione rei spiritualis & motu rei materialis procedentium, consistere.

## §. XXII.

*Motus corpori, cogitationes menti debentur,*

Quamquam inter rem spiritualementalem intercedit commercium actionum & passionum, ut illa in hanc, & sic vicissim, immediate agat: cavendum tamen est, ne hae actiones passionive inter sese adeo confundantur, ut quae mentis sunt, corpori, & quae corporis sunt, menti adscribantur. Bene itaque tenendum est discrimen inter mentem corpusque, ut utriusque functiones feliciter dignoscantur. Hoc vero non observant ii, qui animam principium omnis motus esse opinantur. Nihil magis fucatum falsumque existimandum est, quam hanc fovere opinionem, omnem motum omnemque calorem in corpore animadversum ex anima procedere.



dere, ac dependere. Nam si haec res vera esset, sequeretur, cuius corpori moto animam quendam inesse, & totum orbem, qui quoque movetur, anima quadam univetsali dirigi, adeoque omnem differentiam inter hominem ac reliquas res creatas in sensus incurrentes sine controversia distrahi. Ne autem & nos in hunc errorem declinemus, motum caloremque corpori, atque cogitationes animae vindicabimus. Quemadmodum nullum dubium est, quin omnes cogitationes ad solam mentem, nec vllae ad vllum corpus pertineant; sic quoque omnes motus, quos aliis corporibus inanimatis inesse videmus, dum in nobis fiunt, non a mente, sed a corpore solo derivantur. Hinc hominem diversissimis partibus, id est, re spiritali, & re materiali constantem, duplicem vitam, alteram rationalem, alteram animale vivere, manifestum est. Haec duplex vita durat, donec commercium animae & corporis dissolvatur. Fit autem haec dissolutio, dum naturalis calor corporis cessat, atque organa, quae motibus eius inserviunt, corrumpuntur.

S. XXIII.

Quamquam omnes motus cogitationesque natura sua bonae sunt, tamen ut abusus optimam rem pessimam reddat, ita quoque quemvis iis non recte utentem in miserimum statum detrudunt. Quare is, qui defectum indolis suae emendare cupit, nulli labori parcat, ut discrimen motuum & cogitationum discat, ac adversus omnes impetus fortiter se praeparet. Quamprimum vehementes quidam motus ex subtilissimis sanguinis particulis orti sentiuntur, cogitandum est, omnia ea, quae sese imaginationi offerunt, in id tendere, ut menti illudatur. Quod si quem adfectus ad id, quod in aliud tempus differatur, impellit, videndum est, ut cogitationes alio avertantur, & iudicium de re illum excitante suspendatur. Si autem necessitas cogit, ut consilium statim adhibeatur, id  
*Quomodo  
 felicitas be-  
 mini in hoc  
 commercio  
 obtingat.*  
 vtilissimum















Rostock, Diss., 1715-23

ULB Halle

3

005 016 037



TA → DL  
nr 7+3 Stück verknüpft









B.I.G.

Farbkarte #13

13

V. i. Numeig

26

17234

DEO DUCE  
DISSERTATIO PSYCHO-SOMATICA

DE  
**COMMERCIO**  
**REI SPIRITUALIS**  
CUM  
**RE MATERIALI**

QUAM  
325  
CONCESSU AMPLISSIMAE  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN ILLU-  
STRISS. AD VARNUM ACADEMIAE  
**AUDITORIO MAXIMO**  
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI EA, QUA  
PAR EST, OBSERVANTIA  
SUBMITTUNT  
PRAESES

**M. ANDREAS TRAN-**  
**CHELIUS,**  
& RESPONDENS  
**JOANNES TRANCHELIUS.**  
Sveco-Bahufienses.

DIE XXI. JULII A. R. S. CIO MDCCXXIII.

ROSTOCHII,  
Typis JOH. JACOB. ADLERI, SERENISS. PRINC.  
& ACAD. Typograph.

